



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Ferreolus. 18. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

desperabunt, carmen, jam tunc absque doctore
scitissimè modulabatur. Vatum etiam sacrorum
oracula fideiisque nostræ volumina legebat & ex-
plicabat puella, ut ipsissimam seculi illius Sibyllam
Bernardus laudaret, & in concilio Rhemensi Eu-
genius PP. probaret. Cæterum visa cælestia mor-
bus comitabatur ferè continuus, qui castigabat
scilicet timidam, quoties prodere hominibus
monita cælo data negligenter, fuitque, cum lecto
affixam ita undique oppugnarunt dolores, ut ce-
dere anima & velle ditionem facere jam jam
videretur. Sed præsidio Angeli venerunt è Primi-
pili Michaëlis cohorte, qui atros Genios unaquæ
morbos omnes in fugam egerunt. Dum porro
vixit, mira egit innumera, lynceoque vultu ipsas
cordis latebras inspexit, sensaque animi obtutu
suo deprehendit. Funus illustravit iris gemina in
cælo visa, hanc lux coronabat lunæ circulum re-
ferens, quem itidem crux ornabat, multiplici
mox incremento innumera. Id miraculum super
defunctæ domum descendit. Et ascendere nos du-
bitamus tam familiariter invitati? Ex Surio.

*Beatus qui puris cordis oculis Deum semper intue-
tur, qui que bonis ac honestis colloquiis delectatur, & à
pravis ac turpibus, que bonos mores corrumpunt, abhor-
ret; quoniam minimè fiet diaboli mancipium. S. Ephr.
in Beatitud.*

S. FERREOLUS M. 18. Septembris.

Annum à Christi ortu tertium supra trecento-
tesimum victoriis suis nobilem fecit FER-
REOLVS, non tam militum quam Martyrum an-
tesignanus. Hostis, qui cum ei bellandum erat,
atrox & versipellis Crispinus Procof: fuit, ut qui
modò

modò insidias (blanditias) admovit, modò aper-
to Marte (tormentis) pugnavit. Utraque vel elusa
prudenter vel vicit fortiter FERREOLVS. Et po-
terat facile pacem cum hoste componere, si vel
semel sacrificasset. Sed maluit suam fanguinem
Christo, quam vel alienum Diis improbis litare.
Et jam tota agmina carnificum vicerat, cùm ferro
oneratus in carceres triumphans abiit. Inde ru-
ptis cælesti ope vinculis, per sopitas custodias &
portas patentes ad Rhodanum evasit, quem cùm
Angelis succollantibus transnataasset, retractus a
fugâ ultimam nobilissimamque pugnam edidit.
Nam capite D. Juliani Commilitis objecto, Iu-
sus est aut suam mutare, aut similem expectare
sententiam. Ille charum caput amplexatus mul-
tumque dissuaviatus, sanguinem sanguini, caput
capiti, tumulumque tumulo sociavit. Hunc ajunt
multis post annis D. Mamerti operâ adapertum,
FERREOLI, & in manibus FERREOLI, Juliani ca-
put, utrumque integrum ostendisse. Exemplo vel
Græciâ Judice supra omnes Pylades & Orestes
amico. *Ex Sur. & Pet. de Natal.*

*Beata esset nostra conditio, si equè DEO & homini-
bus vel displicere timeremus, vel curaremus placere: si
tantum præcepta Christi, quantum populi sibila verere-
mur; & si tanti laus que ex DEO est, quanti isti de-
vulgo plausus emeretur. S.Paulin.ep.31.*

S. JANUARIUS CUM SOC. MM.

19.Septembbris.

VIdit JANVARIVS Beneventanus Pont.
flamمام cælo lapsam caput Sosii Diaconi
lambere. Eo prodigo excitatus accurrit, Sosium-
que osculis & amplexu impeditum Martyrem sa-
luta-